

obtinere: alteris dicebas, te velle, quae egissem, bene et feliciter evenire. Ego autem si dignitas est bene de republica sentire, et bonis viris probare, quod sentias, obtineo dignitatem meam: sin autem, in eo dignitas est, si, quod sentias, aut re efficere possis, aut denique libera oratione defendere, ne vestigium quidem ullum est reliquum nobis dignitatis; agiturque praeclare, si nosmetipsos regere possumus, ut ea, quae partim jam adsunt, partim impendent, moderate feramus: quod est difficile in ejusmodi bello, cujus exitus ex altera parte caedem ostentat, ex altera servitatem. Quo in periculo nonnihil me consolatur, quum recordor, haec me tum vidisse, cum secundas etiam res nostras, non modo adversas pertimescebam: videbamque, quanto periculo de jure publico disceptaretur armis. Quibus si vicissent ii, ad quos ego pacis spe, non belli cupiditate adductus, accesseram; tamen intelligebam, et iratorum hominum, et cupidorum, et insolentium, quam crudelis esset futura victoria: sin autem victi essent, quantus interitus esset futurus civium, partim amplissimorum, partim etiam optimorum, qui me haec praedicentem, atque optime consulentem saluti suae, malebant nimium timidum, quam satis prudentem existimari. Quod autem mihi de eo, quod egerim, gratularis, te ita velle certo scio: sed ego tam misero tempore nihil novi consilii cepissem, nisi in reditu meo nihilo meliores res domesticas, quam rempublicam, offendissem. Quibus enim pro meis immortalibus beneficiis carissima mea salus, et meae fortunae esse debebant, cum propter eorum scelus nihil mihi intra meos parietes tutum, nihil insidiis vacuum viderem, novarum me necessitudinum fidelitate contra veterum perfidiam muniendum putavi. Sed de nostris rebus satis, vel etiam nimium multa. De tuis velim, ut eo sis animo, quo debes esse: id est, ut ne quid tibi praecipue timendum putes. Si enim status erit aliquis civitatis, quicumque erit, te omnium periculorum video expertem fore; nam alteros tibi jam placatos esse intelligo, alteros nunquam